PLATONIS

CRATYLVS

GRAECE ET LATINE

ANNOTATIONIBVS

CRITICIS ET GRAMMATICIS

ILLVSTRATVS

PARTICVLA TERTIA DECIMA

ORATIVNCVLIS LATINIS

IN SCHOLA THOMANA

A. D. XXVI. APR. A. C. CIↃIↃCCLXXXXVIII 1798

HORA VIIII. ANTEMERID

HABENDIS

PRAEMISSA

AB

RECTORE CAETERISQVE MAGISTRIS

1798.

KONVR. GYMNASIUM DÜSSELDORF

LEIP 11 (1798)

Doubl.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Q. B. V

Socrates enim, vt doceat, actiones, quae ad ea, quae extra ſunt, pertineant, non ex arbitrio agentis, ſed ſuae naturae conuenienter, inſtitui debere, hoc eſt, ita, vt eſſentiae rei cuiuſque, quam attingant, reſpondeant, atque inſtrumentis peragantur eiuſmodi, quae in iis inſtituendis adhiberi ipſum rerum ingenium iubeat, ſi quidem inchoari recte, vtiliterque, et profligari, et abſolui, debeant, primum, exempli cauſſa, ſectionem proponit. Etenim, οἷον, ἐάν τι[1] ἐπιχειρήσωμεν, inquit, ἡμεῖς τῶν ὄντων τέμνειν, πότερον ἡμῖν τμητέον ἕκαςον[2], ὡς ἂν ἡμεῖς βυλώμεθα, καὶ ᾧ ἂν βυληθῶμεν; ἢ, ἐὰν[3] μὲν κατὰ τὴν φύσιν βυληθῶμεν

 ἕκα-

1. Ald. Baſ. 1. 2. οἷον ἐάν τι.
2. Baſ. 2. τμητέον τῶν ὄντων ἕκαςον. Steph. ἕκαςον ὡς ἂν ἡμεῖς βυλώμεθα.
3. Ald. βυληθῶμεν, ἢ ἐὰν —. Baſ. 1. 2. βυληθῶμεν; ἢ ἐὰν —.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ἕκαςον τέμνειν, τȣ̃ τέμνειν τε, καὶ τέμνεσθαι[4], καὶ ᾧ πέφυκε, τεμȣ̃μέν τε, καὶ πλέον τι ἡμῖν ἔςαι[5], καὶ ὀρθῶς πράξομεν τȣ̃το[6]· ἐὰν δὲ παρὰ φύσιν, ἐξαμαρτησόμεθά τε, καὶ ȣ̓δὲν πράξομεν[7]; Οἷον autem alio iam vidimus loco[8] peperiſſe particulas Latinas *tanquam*, et *velut*, atque adeo ſignificare *verbi cauſſa*, *verbi gratia*, vel *exempli gratia*, *exempli cauſſa*, non *quemadmodum*, vt Ficinus reddidit, neque *velut verbi cauſſa*, vt explicauit ſcilicet Cornarius. Sed vt adoleſcentes harum literarum ſtudioſi videant, qui factum ſit, vt Graeci hanc iſti vocabulo poteſtatem tribuerint: teneri ab iis oportet, οἷον, hoc certe loco, ſimpliciter dictum eſſe pro οἷόν ἐςι τȣ̃το, vel οἷον τȣ̃το, quibus verbis Latini reſpondere hoc in genere iuſſerint verba *quod genus*. Quae quidem ratio, etiam ab Hogeuenio[9] propoſita, ne cui ficta forte, atque commenticia, videatur: meminerint velim Socraticorum dialogorum lectores, in Eryxia Aeſchinis[10] ita legi, οἷον τὰ τοιάδε· quorum verborum conſtructio expedienda ſit ex ea Platonis, eiuſque imi-

4. Ald. Baſ. 1. τέμνειν τȣ̃ τέμνειν τὲ καὶ τέμνεσθαι. At particula τε cohaeret cum infinitiuo τέμνειν, atque adeo coniungi cum eo etiam pronunciatione debet. Itaque iam in Baſ 2. et Steph. ſcriptum eſt, τέμνειν τȣ̃ τέμνειν τε καὶ τέμνεσθαι· ſed pro ᾧ operae Petrinae dederunt ὦ.

5. Ald. Baſ. 1. τεμȣ̃μέν τε καὶ πλέον τὶ ἡμῖν ἔςαι. Baſ. 2. τεμȣ̃μέν τε καὶ πλέον τί ἡμῖν ἔςαι. Stephan. τεμȣ̃μέν τε, καὶ πλέον τὶ ἡμῖν ἔςαι. At τι pertinet ad πλέον, ita, vt vtrumque vocabulum vnum debeat accentum, et tenorem, communem habere.

6. Baſ. 1. 2. τȣ̃το;

7. Ald. ἐξαμαρτησόμεθά τε καὶ ȣ̓δὲν πράξομεν. Baſ. 1. 2. Steph. ἐξαμαρτησόμεθά τε καὶ ȣ̓δὲν πράξομεν;

8. C. 2. partic. 7. p. 15.

9. Epit. doctrinae particc. Graecc. c. 55, 9.

10. C. 49.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

imitatorum, forma loquendi, quae vocabulis pluralibus neutrius generis, quae ſunt enunciationum ſubiecta, vt a grammaticis vocantur, addere attributa eiuſdem generis ſingularia ſoleat [11]. Ἐπιχειρεῖν autem facile apparet proprie poſitum hoc loco eſſe de iis, qui aliquid ita aggrediuntur facere, vt manus operi admoueant: et quia ii, qui rem aliquam ſecant, manum ei admouerint neceſſe eſt: quis non intellegit, quare Plato coniunctionem ἐάν, hoc eſt, εἰ ἄν [12], ſequi iuſſerit, non praeſens, ſed aoriſtum primum, modi coniunctiui, quem ſic reſpondere futuro Latinorum eiuſdem modi nouimus? Et quis eſt, qui non didicerit puer, verbalibus neutrius generis, in τεον exeuntibus, quae a Graecis grammaticis etiam ἐπιῤῥήματα ποιότητος [13], vel θετικὰ ἐπιῤῥήματα [14], non tantum θέσεως ἐπιῤῥήματα [15], dicuntur, et quibus Attici ſcriptores non ſemper, id quod vel hic Platonis locus docet [16], verbum ſubſtantiuum addunt comitem, vt grammatici quidam veteres praecipiunt [17], adiungi tum, quum vi praedita ſint paſ-

11. Vid. ad Plat. Phaedon. I. not. 8.

12. Etymol. M. p. 307. 24. Sylb. Ἐάν· ἐκ τοῦ εἰ συναπτικοῦ συνδέσμου, καὶ τοῦ αν παραπληρωματικοῦ, γίνεται εἰάν· καὶ ἀποβολῇ τοῦ ι, ἐάν.

13. Vid. Etymol. M. v. ἰτέον p. 479. 29.

14. Vid. Suidas v. πολεμητέα εἶναι p. 139. To. 3. Neoc.

15. Vid. Victorius Varr. Lectt. 33, 22.

16. Alii huiuſmodi loci ſunt apud Ariſtoph. Auu. 1228. 1359. Plat. Gorg. 36. p. 131. 45. p. 160. 79. p. 249. Findeiſ.

17. Phauorinus, e ſchol. Sophoclis ad Aiac. 1160. p. 34. Cantabrig. a. 1673.: Θαπτέον κοινῶς, θαπτέον ἐςὶν Ἀττικῶς· οἱ γὰρ Ἀττικοὶ προστιθέασι τὸ ἐςὶν, ὃ συνυπακούεται ἔξωθεν παρὰ τοῖς κοινοῖς, ἵνα καινότερον τὸν λόγον ἐργάσωνται.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

passiua, casum rei quartum, et personae tertium, solere? Sed auctores huius de constructione istorum verbalium praecepti oportebat librorum suorum consultoribus ostendere etiam caussam, cur huius generis vocabula possent, et vero deberent, sic cum aliis verbis componi. Constat enim, apud Graecos, non tantum formulas multas, sed etiam multa verba singula, sequi solere constructionem eorum verborum, quorum partes agant, et potestatem referant [18]. Et quum haec verbalia, quale est hoc loco τιμητέον, passiuam habeant significationem, hoc est, verbo substantiuo, vel addito, vel omisso, idem valeant, quod verba impersonalia δεῖ, et χρὴ [19], atque infinitiui verborum passiuorum, a quibus ipsa ducta sunt; quum passiuis verbis etiam tertius personae casus iungatur, non tantum secundus, quem praepositiones ὑπὸ, πρὸς, παρὰ, ἐκ, comitentur: sane in promtu est, ἡμῖν τιμητέον ἕκαστον idem esse, quod ἡμῖν, id est, ὑφ' ἡμῶν, τέμνεσθαι δεῖ, vel χρὴ, ἕκαστον. Nam ἕκαστον res ipsa loquitur esse accusatiuum neutrius generis, qui ad nomen τῶν ὄντων pertineat. Hoc vero nomen quum grammatici quidam nimis seduli adscripsissent, admonendi lectoris caussa, vel inter versus, vel in ora, paginarum codicum suorum: accidisse videtur, vt librarii illud inde in ipsum verborum philosophi ordinem transf-

18. Vid. partic. II. p. 6.

19. Vid. Suidas v. πολεμητέα εἶναι. Sic apud Aeschin. Socr. 2, 32. verbale χρηστέον commutatum extat verbis δεῖ χρῆσθαι, et δεῖ χρήσασθαι. Multa enim horum verbalium etiam actiuam, et retransitiuam, vim habent. Alius huius generis locus est apud Aristoph. Auu. 1359. coll. v. 1357.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

transferrent. Arlenium certe quidem incidisse in talem codicem, quem in bibliotheca Italiae quadam reperisset, ex eo apparet, quod Hopperus in exemplo operum Platonis Petrino scribere operas iussit, ἡμῖν τμητέον τῶν ὄντων ἕκαςον. Et fieri sane potest, vt ipse iam Ficinus hanc lectionem suo in codice inuenerit. Prior enim interrogationis Socratis pars conuersa ab eo in Latinum sic est, *quemadmodum, si nos* rem aliquam *diuidere statuamus, vtrum sic diuidenda* res quaeque *est, vt nos volumus, et quo volumus?* sed partem eius posteriorem explicare eidem placuit hunc in modum, *an potius, si* vnumquodque *diuidamus secundum naturam, qua diuidere, et diuidi, oportet, itemque eo, quo secundum naturam diuisio fieri debet: diuidemus vtique recte, et aliquid proficiemus, ac recte istud agemus? sin autem praeter naturam, aberrabimus, nihilque proficiemus?* Iam etsi nos non fugit, in sermonibus maxime familiaribus etiam apud Graecos addi solere saepenumero verba, quibus sublatis oratio reperiatur aeque dilucida, et perspicua, quo facilius scilicet omnia, quae dicuntur, atque certius, ab altero colloquutorum intellegantur: tamen multa hoc quidem loco videmus concurrere, quae hancce nos admittere rationem vetent. Quum enim ipsa Socratis argumentatio, non loquatur, sed clamet, sermonem spectare ad res, quae extra sunt; quum Socrates eas modo diserte nomine τῶν ὄντων significarit, vt pronomen ἕκαςον nec ab hebetissimo, tardissimoque, disputatore alio trahi vllo modo posset: quis philosophorum principem putet hac putida eiusdem nomi-

nominis repetitione vſum eſſe, agentem cum Hermogene, ſophiſtarum familiari acuto, et ſolerte? Cuius quidem ſolertiae, acuminiſque, hominis Plato ita rationem habuit, vt Socratem paulo poſt argumentari pergentem dicere iuſſerit ſimpliciter, ἕκαςον τέμνειν, et κάειν τι, et ἕκαςον, κάεσθαί τε, καὶ κάειν. Et quis tandem eſt, cuius aures eruditae, atque teretes, non vehementer laedantur crebra iſta, continentique, eiuſdem vocis, earundem ſyllabarum, concurſione? Iam quum is, qui aliquid ſecat, neque ſecare illud poſſit, vt velit, neque eo inſtrumento, quod ipſi adhibere in ſecando placuerit: patet profecto ſponte, cur Plato ſcripſerit, ὡς ἂν ἡμεῖς βȣλώμεθα, hoc eſt, *vt nos volemus*, ſiue *velimus*, et ᾧ ἂν βȣληθῶμεν, id eſt, *quo inſtrumento voluerimus* [20]. Etenim ᾧ abſolute dictum eſt, ita, vt intellegi debeat ὀργάνῳ· quod quidem nomen a ſe hic eſſe omiſſum, oſtendit Socrates non multo poſt ipſe [21]: ſed quare Plato verbum βȣλεσθαι praeoptauerit hoc in genere verbo ἐθέλειν, ex iis, quae alio a nobis loco [22] de differentia vtriuſque verbi dicta ſunt, cognoſci facile poteſt. Et vt κατὰ τὴν φύσιν τέμνειν τι eſt *ſecare rem aliquem ita, vt ſecari natura debet, et poteſt*, hoc eſt, *vt ſectio accommodata*

20. Serranus hunc totum locum perperam conuertit, *Exempli cauſſa, ſi rem aliquam diuidere inſtituamus, vtrum ita erunt res diuidendae pro arbitratu noſtro, et qua ratione nobis libuerit? an potius, ſi ita diuiſionem inſtituerimus, prout fert rei ipſius diuidendae natura, res melius nobis progredietur, et praeclarius multo a nobis conficietur: quod ſi praeter naturam id ſuſceperimus, omnino aberrabimus ab inſtituto noſtro, neque id, quod volumus, conſequemur?*

21. C. 7.

22. Ad c. 1. partic. 2. p. 12.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

data sit, atque conueniens, naturae, essentiaeque, rei, quae secatur: κατὰ τὴν φύσιν enim idem valet, quod paulo post verba, ᾗ ἐπεφύκει, neque sententia verborum, ἐὰν μὲν κατὰ τὴν φύσιν, a sententia verborum, ἐὰν μὲν, ᾗ πέφυκε, quae infra [23] leguntur, discrepat; sed Plato Socratem iussit vti hoc loco potissimum altera illa orationis forma, quia contrariam sententiam exprimere deinceps verbis παρὰ φύσιν voluit: ita verba, τοῦ, τέμνειν τε, καὶ τέμνεσθαι, quorum vim Ficinus videtur non assequutus esse, propterea addita sunt, vt euentus iis, atque effectus, sectionis rectae, legitimaeque, significaretur. Cuius quidem rei index satis certus vel genitiuus articuli est, quem infinitiuis verborum ita praemissum, vt substitui pro eo coniunctio ὡς, vel ὥςε, possit [24], Lamb. Bosius, aliique grammatici, pendere ab omissa particula ἕνεκα, vel ὑπὲρ, nescio an sine caussa, praecipiunt, quum etiam apud Hebraeos particulam ל infinitiuos comitatam eodem in genere esse sciamus. Ὦι πέφυκε autem ipsum quoque simpliciter scriptum est pro ᾧ ὀργάνῳ

23. C. 6.

24. Sic apud Xen. Cyrop. 1, 6. 19. p. 52. Lipſ. legitur, Τοῦ δὲ μηδ' ἐντεῦθεν διαφεύγειν, σκοπὸς τοῦ γιγνομένου καθίσης· et 2, 4. 9. Ὅρη μέντοι ἐςὶν, ἔνθα δύναιτ' ἂν ἀπελθὼν ἐν τῷ παραχρῆμα ἐν ἀσφαλεῖ εἶναι, τοῦ μὴ αὐτός γε ὑποχείριος γίγνεσθαι, μηδὲ ὅσ' ἂν ἐνταῦθα δύναιτο ὑπεκκουίσασθαι. Sic enim constituendus esse locus videtur. Pro τοῦ μήτε, vt legitur in libris editis ante Zeunium, qui τοῦ μηδὲ reposuit, quum neutram particulam ferre posse videretur particula γὲ pronomini αὐτὸς subiuncta, rescripsimus τοῦ μὴ, auctoritate codicum Philelph., et Guelferb., in quo tamen alia manus μὴ mutauit in μήτε, sed pro γενέσθαι, vt Aldus edidit pro εἶναι, quae est libri Iunt. et cod. Palaeoc. scriptura, et pro ὅσα, reddidimus Xenophonti, ipsius sententiae, grammaticarumque legum, iussu, γίγνεσθαι, et ὅσ' ἄν.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ὀργάνῳ τέμνεσθαι πέφυκε· et quum verbum πεφυκέναι, quod per se quidem valet *natura esse* [25], cum infinitiuis aliorum verborum, et actiuis, et passiuis, ita construatur, vt reddi Latine possit, *natura solere*, *natura posse*, *natura debere* [26]: nos verba Socratis, καὶ ᾧ πέφυκε, quum intellegi infinitiuus τέμνεσθαι debeat, haud inepte interpretatos supra esse speramus verbis, *eoque instrumento*, *quo secari natura debet*, *atque potest*, ita tamen, vt pro iis recte substituere possis verba, *eoque instrumento*, *quo natum est secari*, si quidem ducem sequi Minucium Felicem velis, qui, homines ab caeteris animalibus quantum differant, docens, *quod illa*, inquit [27], *prona*, *in terramque vergentia*, *nihil nata sint prospicere*, *nisi pabulum*, hoc est, *nihil natura possint prospicere*, adeo, vt apertissimum sit, eum, inuitatu vsus verbi Graeci πεφυκέναι permotum, *natum esse* pro *natura posse* dixisse. Iam τί πλέον ἐςίν; est, *quid iuuat? quid proficit? quid prodest? quid commodi*, *et emolumenti*, *habet?* ita, vt haec formula, vel absolute ponatur [28], vel, omisso etiam

25. Vid. partic. 2. p. 18. et partic. 12. p. 11.

26. Vid. ad Phaedon. 28, 5.

27. Octau. 17.

28. Aristoph. Plut. 531. Καί τοι τί πλέον πλετεῖν ἐςιν, πάντων τούτων ἀπορεῦντας; quae verba schol. vet. eleganter explicauit ita, Τίς χρεία ἐςὶ τοῦ πλετεῖν, ὅτε ἀπορεῖτε, ὧν χρήζετε; Valquenarius diatr. in reliquias dramm. Eurip. c. 14. p. 150. poëtam scripsisse putabat ἀπορεῦντι, quod verbis, τί πλέον ἐςὶ, iungi datiuus soleret. recte. At primum scribi potius ἀπορεῦσι, vel ἀπορέντοιν, debebat: Paupertas enim agit ibi etiam cum Blepsidemo, non tantum cum Chremylo: vid. v. 529. 532.: deinde quum veteres libri abdicant: quidni arbitremur, Aristophani placuisse infinitiuo πλετεῖν addere accusatiuum ἀπορεῦντας, qui haberet vim genitiuorum consequentiae, vt grammatici loquuntur, ὑμῶν ἀπορέντων, vel σφῶν ἀπορέντοιν? Sic apud Plat. Cratyl. 11. χρήματα ἐκε-

etiam verbo ſubſtantiuo, comitem ſibi adiunctum habeat caſum pronominis alicuius primitiui [29], aut demonſtratiui, relatiuiue, tertium. Vt igitur vox, πλέον τι ἐμοί ἐςι, ſonat *prodeſt mihi aliquid*, multum; *proficio aliquid*, multum: ſic verba, πλέον τι ἡμῖν ἔςαι, quum pronomen ἡμῖν, in hac orationis ſerie, partes participii τέμνουσιν agat, ſponte intellegi ab omnibus poteſt ſatis commode explicari licere verbis, *vtiliter ſecabimus*, pro quibus ſupra vſi ſumus verbis, *proficiemus multum* [30]. Atque hanc ipſam ſententiam Socrates infra [31] expreſſit formula, πλέον τι ποιεῖν, cui ibidem oppoſuit formulam οὐδὲν ποιεῖν, hoc eſt, *nihil proficere*, vt hoc loco formulam οὐδὲν πράττειν, id eſt, *nihil agere*, quae verba ipſi Latini, Graecorum, vt apparet, exemplo, ita vſurparunt, vt poteſtate paria eſſent verbis *nihil proficere* [32]: ſed vtraque formula aliis in locis ſermonum Platonicorum [33] formula οὐδὲν πλέον ποιεῖν commutata legitur.

B 2 Iam

νοις τελεῦντα, καὶ χάριτας κατατιθέμενον, dictum eſt pro χρ. ἐκ. τελεῦντός σου, καὶ χάρ. κατατιθεμένου. Certe nec vetus ſcholiaſtes videtur verba pëtae aliter intellexiſſe.

29. Xen. Cyrop. 5, 5. 10. Τί γὰρ ἐμοὶ πλέον, τὸ τὴν γῆν πλατύνεσθαι, αὐτὸν δὲ ἀτιμάζεσθαι;

30. Cornarius verba illa Socratis non ſatis apte conuertit, *et amplius quiddam nobis inde continget.*

31. C. 6.

32. Vid. Matius apud Cic. 11. ep. 28, 10. et ibi Cortius. Proprie enim verbo ποιεῖν verbum *facere*, et verbum *agere* verbo πράττειν, reſpondet. Nam qui operam in re aliqua ita ponunt, vt poſt actum aliquid operis, quod ſub adſpectum cadat, relinquatur, ii dicuntur ποιεῖν, *facere*, et artes eorum vocantur ποιητικαὶ, *effectiuae*, quod genus ἡ οἰκοδομικὴ, ἡ ναυπηγικὴ, ἡ γραφικὴ· ſed quorum opera ita verſatur in re aliqua, vt poſt actum nihil operis relinquatur, quod cernatur oculis, hi dicuntur πράττειν, *agere*, arteſque eorum nominantur πρακτικαὶ, *actiuae*, velut ἡ αὐλητικὴ, ἡ κιθαριςικὴ, ἡ ὀρχηςικὴ. vid. Laërt. 3, 84. et Quinctil. 2, 18.

33. Vt Phaedon. 64. Conf. Mu-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ſam porro pronomen τοῦτο pertinet ad rem, quae verbo τεμοῦμεν ſignificatur, ita, vt ὀρθῶς πράξομεν τοῦτο ſit *recte ſecabimus*, hoc eſt, *naturae ſectionis congruenter:* ad quae verba quum verbum ἐξαμαρτησόμεθα ſic referatur, vt rem declaret contrariam: ſane apertiſſimum eſt, ἐξαμαρτάνειν valere hoc loco *perperam*, id eſt, *naturae ſectionis incongruenter*, *ſecare*. Haec autem vis cur tribui a Platone huic verbo potuerit, ex iis, quae alibi [34] de natiua verbi ἁμαρτάνειν poteſtate dicta ſunt, patet. Nam verbum ἐξαμαρτάνειν in numero eorum verborum compoſitorum habetur, quae Atticis maxime auribus placuit, vocalitatis cauſſa, ſimplicibus verbis praeferre [35]. Sed quum quaeſiuiſſem ego mecum ſaepius, cur etiam Plato ſemper vſus eſſet futuro medio verbi ἁμαρτάνειν, eiuſque familiae, nunquam actiuo: cauſſam huius diligentiae viſus mihi tandem ſum in eo reperiſſe. Verba enim in εω exeuntia, ſi non omnia, certe plurima, proprie ſignificaſſe videntur actiones in alios tranſeuntes, neque reciprocantes. Quum autem, vt ciuitates aliae, ita in primis Attici, paulatim inſtituiſſent huius quoque generis verba actiua vſurpare, vt retranſitiua: ne tamen ſuperioris eorum poteſtatis memoria omnino extingueretur, hanc adhibuerunt eo in genere prouidentiam, vt

retus varr. Lectt. 12, 13. et Hogeuenius ad Viger. 3, 10. 7.

34. Partic. 4. p. 16. 5. p. 18.

35. Vid. Proluſſ. de vitiis Lexicc. N. T. 5, 3. p. 121. ſſ. Locis, et exemplis, ibi laudatis addi poſſunt haec. Plato Gorg. 26. p. 99. Findeiſ. ἐξελέγξῃς· ſed codd. Merman. et Auguſt. habent ἐλέγξῃς· vt in eodem dialogo c. 42. p. 153. pro ἐξαμαρτάνω in eodem cod. Auguſt. ſcriptum eſt ἁμαρτάνω. Sic, ἐκμαθεῖν Eurip. Phoenn. 34.: ἐξανδρέμενος Id. ibid. 32. et Ariſtoph. Equitt. 1238.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

vt vſum futuri medii etiam tum retinerent. Ex hac igitur ratione praeſentia obſoleta ἁμαρτέω, atque ἐξαμαρτέω, e quibus dubitari non poteſt quin vſitata praeſentia ἁμαρτάνω, et ἐξαμαρτάνω, extiterint, proprie actionem tranſitiuam ita ſignificarunt, vt valerent *iubeo aliquem a propoſito aberrare:* ſed quum, depoſita hac perſona, partes praeſentium mediorum agere ſic coepiſſent, vt declararent *iubeo me a propoſito aberrare*, hoc eſt, *aberro a propoſito*, veſtigia tamen primi eorum ſignificatus in futuris mediis ἁμαρτήσομαι, et ἐξαμαρτήσομαι, remanſiſſe videmus. Nunc, age, ad inſtitutum reuertamur. Quae enim hactenus a nobis de vſu futuri verbi ἐξαμαρτάνειν dicta ſunt, ea ſcias propterea eſſe praecepta, vt diſciplinae in primis noſtrae alumni viderent, in verſandis, explicandiſque, voluminibus Graecis nec huius generis res, quarum cognitione linguae Graecae ſcientia ipſa non parum adiuuaretur, confirmareturque, neglegi ab ſtudioſis doctrinae grauis oportere. Verba igitur, παρὰ φύσιν, referuntur, vt ſupra iam demonſtrauimus, ad verba ſuperioris membri, κατὰ τὴν φύσιν, vt verba, *contra naturam*, apud Ciceronem [36] ad verba, *ſecundum naturam*, adeo, vt repeti inde debeant verba, βουληθῶμεν ἕκαστον τέμνειν. Vt enim ἐὰν δὲ παρὰ φύσιν idem eſt, quod ἐὰν δὲ μὴ, ᾗ πέφυκε, μηδὲ ᾧ πέφυκε· ita Plato, ſi breuitati potius, quam perſpicuitati, orationiſque concinnitati, ſeruire maluiſſet; ſi noluiſſet varietate verborum lectores dialogi capere, atque tenere; potuiſſet certe Socratem etiam

36. Officc. 3, 5.

etiam hoc loco, vt paulo post [37], dicere iubere simpliciter, ἐὰν δὲ μή. Et profecto alia natura est vulnerum, vlcerum, tumorum, alia capitis, brachiorum, manuum, crurum, pedum, digitorum, caeterorumque membrorum, et partium, corporis humani, ita, vt eorum quodque alio modo, alio instrumento, naturae ipsius conuenienti secari debeat, si quidem sectionem ingenio suo respondere, vtilemque esse, atque salutarem, velimus, adeo, vt nequaquam soluta medicis eligendi potestas, atque optio, sit. Atque eo spectat Hermogenis responsio, Ἔμοιγε δοκεῖ ὅτως, quae commutata deinceps voce, Ἔςι ταῦτα, legitur. Loqui enim Socratem, non de diuisione, vt Ficinus opinatus est, et cum eo Serranus, sed de iis maxime sectionis generibus, quibus vti cultores suos iubet ea medicinae pars, quae manu medetur, vel ex eo intellegi arbitramur posse, quod ab ipso, vt alibi [38], ita hoc quoque loco, sectio coniungitur cum vstione, non cum combustione, de qua Cornarius, et Serranus, post Ficinum verba philosophi accepere *. Ea sunt haec, Οὐκοῦν καὶ ἐὰν κάειν τι ἐπιχειρήσωμεν,

37. C. 6.

38. Vid. Plato Gorg. 32. 35. 36. add. Laërt. 4, 7.

* Verba Latina Ficini sunt haec, *Atque etiam si comburere aliquid aggrediamur, non secundum omnem opinionem comburere oportet, sed secundum opinionem rectam: haec autem est, qua ratione naturaliter quodque comburi debet, atque comburere, et quo debet.* Serranus vero multo etiam longius aberrauit a sententia verborum Socratis. Interpretatus enim ea sic est, *Nonne, si comburere aliquid aggrediamur, consentaneum est, non qualibet opinione comburere, sed ex verae opinionis constitutione? haec enim ipsa est, qua natura comparatum est, vt vnaquaeque res, et comburat, et comburatur, et quatenus naturae illius ratio apta est, atque accommodata.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

σωμεν [39], ὃ κατὰ πᾶσαν δόξαν δεῖ κάειν, ἀλλὰ κατὰ τὴν ὀρθήν· αὕτη δ' ἔςιν [40], ᾗ ἐπεφύκει, ἕκαςον, κάεσθαί τε, καὶ κάειν [41], καὶ ᾧ ἐπεφύκει. Vstionem vero, atque sectionem, esse actiones quasi proprias medicorum, qui manu medentur corporibus, et hominum, et equorum, aliorumque iumentorum, quorum hi quidem a Latinis *veterinarii* [42], illi a Graecis χειρκργοὶ [43], dicantur, quis nescit? Et verba, ὃ κατὰ πᾶσαν δόξαν, ἀλλὰ κατὰ τὴν ὀρθήν, reddi Latine possunt commode, *non quauis*, quacunque, *ratione*, *sed recta*. Etenim πᾶς, vt *omnis* [44], non raro ita ponitur, vt sit *quiuis*, *quicunque*, omnis generis: et quum tempora verborum etiam praeterita imperfecta in sermone Graecorum saepenumero vi sua omnia complectantur

39. Ald. Bas. 1. 2. Steph. κάειν τὶ ἐπιχειρ. At verba κάειν τι coniungi pronunciatione, vt vnum verbum, debent, ita, vt τι accentum amittat suum.

40. Ald. ὀρθήν· αὕτη δ' ἐςὶν, —. Bas. 1. 2. ὀρθήν, αὕτη δ' ἐςὶν, —. Steph. ὀρθήν; αὕτη δ' ἐςὶν, —. At ἐκεῖν non interrogatiua particula est hoc loco, sed, vt paulo post, collectiua, *ergo*: et post apostrophum verbum ἐςὶν accentum retrahere, ipsa natura praeeunte, in penultimam syllabam solet.

41. Ald. Bas. 1. 2. Steph. ᾗ ἐπεφύκει ἕκαςον κάεσθαί τε καὶ κάειν· sed in Bas. 2. scriptum legitur καίεσθαί pro κάεσθαί, incuria, vt opinor, eius, qui operis praefuit. Attici enim pro καίειν dixere κάειν· v. Etymol. M. v. καίω p. 497. 41. v. ποιῶ p. 679. 26. et Eustathius ad Il. α p. 36. 9.: vt κλάειν pro κλαίειν. Moeris: Κλάειν, καὶ κάειν, μετὰ τοῦ ᾱ, Ἀττικῶς· μετὰ τοῦ ῑ, Ἑλληνικῶς· vbi v. Piersonius p. 231. Librarii vero recentiores multi in Atticorum scriptis hanc verborum formam Atticam mutarunt in communem, quum alii eam siuerint manere integram. v. nos ad Phaedon. 64, 20. et animaduerss. ad gram. Velleri P. 1. p. 95.

42. Glossarr. vett. *Veterinarius* ἱππίατρος. *Veterinarius* κτηνίατρος.

43. Vid. Celsus praefat. ad libros de medicina.

44. Vid. Tursellinus in de Particc. Lat. orat. c. 164. 2.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tur tempora [45]; quum ἐπεφύκει quoque hoc loco absolute dictum sit, hoc est, ita, vt infinitiuus κάεσθαι addi mente debeat: verba, ᾗ, id est, ὡς [46], ἐπεφύκει, et ᾧ ἐπεφύκει, ex iis, quae ante de potestate perfecti πεφυκέναι infinitiuis aliorum verborum adiuncti praecepta sunt, facile apparet recte a nobis supra explicata esse verbis, *naturae suae conuenienter, atque instrumento huic accommodato* [47]. Reliqua verba, ἔςι ταῦτα, πάνυ γε, ὀκῶν καὶ τἄλλα [48] ὅτω [49], cum sponte a quoque, sine vllo interpretis admonitu, tum ex iis, quae alibi [50] de his vocibus disputata sunt, intellegi possunt. Nam genus neutrum τἄλλα Plato posuit, quia de sectione, atque vstione, vsus est infinitiuis verborum, τέμνεσθαι, et τέμνειν, κάεσθαι, et κάειν· ὅτω autem simpliciter dictum est pro ὅτως ἔχει, hoc sensu, *Ergo caeterae quoque actiones institui debent naturae cuiusque rei congruenter, atque instrumentis ei conuenientibus* [51].

Iam

45. Vid. Cratyl. 7. 9. Hom. Il. ά, 218. Odyss. ά, 97. Nam, vt perf. πέφυκε vim praesentis habet: vid. partic. 2. p. 18.: ita plusquamperf. ἐπεφύκει par potestate est praeter. imperfecto.

46. Vid. partic. 2. p. 5. 12. p. 11.

47. Instrumentum, quo medici in vrendo vtuntur, Graeci καυτήριον vocant. Nam ᾧ etiam hoc loco simpliciter dictum est pro ᾧ ὀργάνῳ.

48. Bas. 1. 2. τ' ἄλλα.

49. Bas. 1. 2. ὅτως; Ald. ὅτως· Steph. ὅτως. At quum prima sequentis vocabuli litera sit consonans, neque vocalis: neque enim nominum personarum sermocinantium, quae interiecta sunt, haberi ratio debet: pro ὅτως rescripsimus ὅτω, etiam grammaticorum veterum admonitu. v. Etymol. M. v. ὅτω p. 643. 36. Thomas Mag., et Phauorinus, v. ὅτως.

50. Partic. 8. p. 12. 9. p. 17. 11. p. 11. 12. p. 16.

51. Interpretatio Ficini Latina habet, *Nonne eadem de ceteris ratio?* Accepit enim verba Socratis interrogatiue, vt Cornarius, *Nonne etiam alia sic?* et Serranus, *Nonne et de aliis rebus ita constituendum est?* vid. supra not. 40.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Iam quum ratio, qua nos verſati ſumus, adoleſcentium maxime liberalium cauſſa, in enarrandis huius quoque Cratyli capitis verbis, docere quemque poſſit ſatis, quantum valeat diligens lectio, atque interpretatio idonea, veterum vtriuſque linguae librorum, cum ad cogendas, collegendaſque, copias, et Graecas, et Latinas, firmas, tum ad excitandum, et alendum, ingenium, ad augendum, et exacuendum, iudicium, ad conformandum, et expoliendum, moderandum, et regendum, in omni orationis genere ſtylum: non modo haec tanta operae liberalis commoda, et praemia, ſed caeterorum quoque eiuſdem ſtudii fructuum, emolumentorumque, egregiorum multitudinem, praedicabunt publice oratiunculis Latinis perendie, hora antemeridiana nona, ante abitum e ſchola Thomana ſuum, alumni diſciplinae noſtrae tres, adoleſcentes ob artium ingenuarum ſtudia acerrima amore omnium bonorum digniſſimi. Nomina eorum ſubiecimus: CAR. HENR. SINAPIVS *, *Pegauienſis:* ORTHOBIVS TIMOTHEVS PVNSCHELIVS, *Irenotimocomenſis:* CAR. FRIDER. MESEMERINVS **, *Slibena Saxo.* Hic enim quinque ipſos annos, ille triennium, iſte annos duo, rectori ludi praecepta bonarum literarum tradenti ita aſſedere, vt ipſi non minus, quam magiſtris reliquis, modeſtiae, pietatiſque, conſtantiam in primis probarint. Sed quo certius eſt, ſtudia praeceptorum, atque diſcipulorum, nulla re vehementius incitari, atque augeri, quam fauore virorum ſapientiae vtriuſque,

* SENFF ** MITTAG

que, et meritorum in rem publicam, et Christianam, et literariam, laudibus florentissimorum, quibus salute scholarum maxime Graecarum, et Latinarum, nihil carius esse constet: eo magis confidit collegium nostrum, non modo Patronos amplissimos, et grauissimos Curatores, scholae, verum etiam alios scholasticorum institutorum fautores, adiutoresque, qui ecclesiam, et academiam, et ciuitatem, Lipsiensem doctrinae suae copia, et grauitate, ornant, oratores illos publicos esse praesentia sua, atque audientia, cohonestaturos. Quam quidem fiduciam nostram ne vanam esse, irritamque, iubeant ciuitatis vtriusque principes, eos vehementer, atque ita, rogamus, vt curae ipsorum, et humanitati, res scholae Thomanae omnes, atque adeo nosmet ipsos, quam diligentissime commendemus. Scripsimus in schola Thomana a. d. VIII. Kal. Maias A. C CIↃIↃCCLXXXXVIII

LIPSIAE

EX OFFICINA SOMMERIA

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

que, et … t Chriſtianam, et
literaria … quibus ſalute ſcho-
larum m … , nihil carius eſſe
conſtet: … rum, non modo
Patronos … ratores, ſcholae,
verum e … utorum fautores,
adiutoreſ … m, et ciuitatem,
Lipſienſer … ate, ornant, ora-
tores illo … atque audientia,
cohoneſtat … ſtram ne vanam
eſſe, irrita … e principes, eos
vehemente … ae ipſorum, et
humanitati … s, atque adeo
noſmet ipſ … ndemus. Scri-
pſimus in … l. Maias A. C

CIↃIↃCCLXXXX

E … A

© The Tiffen Company, 2007
TIFFEN Gray Scale
A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19
R G B W G K C Y M

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf